

cepit, notabili plane ad crucem ferendam invitamento. Visus est, inquit, Sachinus, sibi videre Christum Dominum prægrandi cruce oneratum, cujus ille vestigia minori cruce eruat, majori tamen molestia sectaretur. Verum cum aliquando vidisset Dominum gravi sub pondere labentem, et commiseratus vellet in oneris ejus partem succedere, severo ad eum vultu conversus Jesu: Qui, inquit, magna, et aliena feras, qui tua eaque leviora non potes? Hac voce miro amore succensus quam plurima tolerandi, relicto sociis illustri excelsi pectoris exemplo, ad Idus Julius brevem cruciatum cum æterna jucunditate mutavit. NADASI, in *Pret. cog. mor.*, c. IX, p. 4.

S. Joannes Cardini physica studiosus 30 ætatis anno vitam cum æterna commutavit, Bracharæ in Lusitania. Huic ægro, et morienti pulcherrima fuit occupatio crucifixus. Dissolvi cum desideraret facilesque sibi cum Deo fore rationes audiret: Ah duram, et abbat, sententiam, reddere Deo rationem; verumtamen misericors est, et cruciatum mea causa susceptorem recordabitur. Mox extremis migrantium sacris rite munitus, inter inundantes lacrymis pietatis æstus, etiam eos, qui aderant spectaculo ad lacrymas permovit; et a Rectore serio petit, nudus humi abjectus emori, et mortuus in finetum abjici ad sepulturam. Mirum illud et prodigio par visum, quod narrat ejus vita: Ægro supremum divina vulnera sua viante, ipsi Christi Domini signum reflexis manibus ac pedibus, ita se Joanni morientis ultro injeicit, ut famulum amplecti suum, et ejus colligere velle inter postremos anhelitus animam videretur, et ad mirabilitatem intendit, quod immotus in ipsa cruce clavicularis, vix ægre quiverit, iis rursus inseri sacrum simulacrum. In ipso ergo crucifixi osculo placidam animam, quasi e corpore in Jesu vulnera immigrantem, et ab obvio Jesu amplexu exceptam, reliquit. NADASI, n. 2.

Martino Tuo suavissimæ ac promptissimæ obedientie juveni, in Alenconensi collegio in acerrima morbi vi, seu a mente aberraret seu sibi constaret. ultimum solatium fuit crucifixus oculis honoratus. Neque muta fuere oscula, sed plena Deo, hæc verba repeteret: Meus triumphus! et iterum osculabatur: Meus triumphus! iterum oscula, et verba eadem repetebat, et inter hæc felix mors. Ib., n. 43.

P. Joannes Comblet Hesdimi feria sexta,

et fere qua Christus hora moriens, illud in ore frequenter habuit: Cum crucifixo vixi, cum crucifixo moriar.

Spiritum suum ante mortem Deo commendare.

Ita Christus exemplo prævit, dicens: « Pater in manus tuas commendo spiritum meum. »

Imitatus Christum est S. Stephanus sub ipsum vitæ exitum dicens: « Domine Jesu suscipe spiritum meum. » Luc. XXIII, 46. Quasi diceret, ait S. Augustinus: « Fecisti me victorem, recipe me in triumphum; illi persequuntur, tu suscipe; illi ejiciunt, tu intromitte: die spiritu meo: intra in gaudium Domini tui. »

S. Dionysius Areopagita jam senior ac grandævus annos numerans, decem supra centum post vincula, verbera, flammam, Christiana fortitudine toleratas in crucem actus, dum cruce gravius sensisset deponi de cruce, tandem ad gladium damnatus, jamjam ictum excepturus hæc protulit: Ultimum verbum Domini mei in cruce sit, et mihi ultimum in hæc luce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Sacerus in *Chron.*

S. Basilium, cum vitam suam per regiam crucis viam ad terminum perductam cernebat, ut extremis illam crucifixi verbis signaret, præclaris monitis ad omnem pietatem hortatus esset, magno affectu illud Christi ad Christum subjunxit: « In manus tuas commendo spiritum meum. » Et una cum verbis animam lætus ad crucifixum Dominum transmisit. S. GREG. NAZ., or. 20.

Paulus Justinianus Camaldulensis, cum ad extremam vitæ suæ horam devenisset: « Adesto jam, inquit, mihi, o bone Jesu, unica spes mea, cui soli vixi, cui uni morior, et suscipe in misericordia tua spiritum meum, quem in manus tuas commendo. quia tu redemisti me, Domine Deus veritatis; » quibus dictis, requievit in pace. *Hist. Erenitica*, l. III, c. XVI.

Petrus Urseolus, cum Venetiarum Dux esset, relicto Ducatu ad S. Romualdum confugiens, monachi habitum ab eo accepit, sub quo dum Creatori sui fideliter deservisset, tandem hora nona, qua Dominus expiravit ejusdem verba ingeminans: « In manus tuas Domine commendo spiritum meum, » ad eundem migravit. *Ibid.*

Ferdinandus laudatissimæ ille Castellæ, et Legionis Rex, morti cooperat esse viciniam, cum presentibus, lectumque Regium circumstantibus Regni Proceribus, ad Dominum conversus: « Tua est, inquit, potestas, Domine, tuum est regnum, tu es supra omnes Reges, imperio tuo regna caelestia ac terrestria subduntur. Regnum, quod a te accepi, quamdiu placuit voluntati tuæ, rexi, nunc ecce id reddo tibi, tantum animam meam de voragine interitus ereptam, ut ad te suspicias, rogo; in manus tuas, Domine commendo spiritum meum. » Lucas TUDENSIS.

S. Martha simul ac tempus illud advenisse cognovit, quod vicissim ab illo in caelestem domum excipienda erat, in pavimento cineribus adpersum, impluviumque e quo caelum contemplari posset, voluit deponi, atque hic sibi manu crucem tenenti sacram passi Domini historiam prælegi jussit, quam S. Lucas conscripsit. Ventum erat ad ea verba, qua Christo postrema fuerunt: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, nec plura expectavit, sed ipsam Domino resignavit. *Vita.*

B. Kunegundis Virgo Veromatiensis in agone posita, jam sacro Dominici corporis percepto viatico, ex cilicio ac cinere caput erigens: En adsum, inquebat, Christe, ancilla tua, veni obscuro, Rex piissime, et me benigne suscipe; inter quæ odore suavissimo illic diffuso, et clarissimo lumine superveniente, sancta anima in caelum evolavit. SERIUS, t. IV.

Margarita virgo Hungarica sanctissimis munita sacramentis, ubi ad extremam diei, qua se morturam prædixerat, horam pervenisset, Psalm. trigessimum decantare cepit: In te Domine speravi, etc., cumque ad eum verum devenisset: « In manus tuas commendo spiritum meum, » felicem in caelum animam transmisit. *Ib.*, t. I.

Fuit Valentiniani anno hujus sæculi vigesimo octavo mulier pia, in obumbris Christi patientis stationibus, dum per valeditudinem liesbat, plurimum exercitata, quæ cum lecto jam affixa paulatim ad mortem tenderet, quod pedibus nequibat, mente explorare studebat: contigit autem die illa, quæ ei suprema fuit, dum solitum urgeret officium, jamque ad Calvaria montem cogitatione consitisset, in hæc verba linguam laxasse: « Huc ergo pervenimus, ubi Servator meus vitam pro me in cruce posuit,

adoremus hanc crucem, et si fas est, in ea Domino commoremur; tibi ergo Domine Jesu commendo spiritum meum. » In quibus verbis vix obdormivit in Domino.

Derelictum a suis vita excedere.

Ita Christus obiit, ut verba illa indicant: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? *MATT.*, c. XXVII, 46. Hinc S. Bernardus dicebat: « Habemus Christum a patre nascentem, in patre cubantem, cum patre sedentem, pro patre stantem, sub patre pendentem, sine patre quodammodo morientem. »

Alexius ipsa nuptiarum nocte elapsus Edessam aufugit, ibique inter mendicabula tamdiu latuit, dum ab effigie Deiparæ proditus, Romam rediit, in patria domo inops, desertusque moriturus, ubi cum e tanta hereditate vix ultimam angelum impetrasset, ac septemdecim ipsos annos gravia multa a servis patiens, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus, transigisset, mors tandem siparium reduxit; mortuum domestici ignorabant, et vos humana major, Romanum Pontificem, et Imperatorem ad mortuum exivit: Ita qui deseri in morte sustinet, a morte ab omnibus celebratur. *METAPHOR.*

Alexio nec vitæ ratione, nec mortis genere Joannes absimilis fuit, quem Græci Calybitam a tugurio, quod illi vocant appellare consueverunt. Hic ille est, qui sub mendici specie ad parentes ignotus divertit, tantæque filius familiae, vix male sartam, lectamque in vestibulo ædium suarum casualum impetravit, in qua cum tres illos annos latuisset, ad superum palatia invitatus accersiri fecit familiæ præfectum, rogans eum, ut dominam vel tantillo tempore ad se dignetur accersere. Abiit ille, et nuntiavit dominæ suæ, quod a Joanne accepterat, sed abnuit illa ad eum accedere, quæ nec aspicere se posse affirmabat; institit Joannes, et ante mortem, quam imminet et proximo expectabat, rogat, ni sero penitusse velit, accedat. Præcepit tandem pueris suis pauperem illum ad se adferrent. Contactus igitur, adeo ut vix agnosceret ad dominam latus est, tum ille: Merces tua, inquit, domina, completa est: pensabit Deus, quod minimo fecisti: mox presentem jurejurando adigit, velit, jubeat, in pannuceis suis se tu-

mulari, dein sanctum Evangelii librum, quem puer ab ea dono acceperat, in manus tradit, atque ita oculos illi aperit, et ipse suos claudit. FERRAR., in *Catal.*

B. Juniperus die quadam cum fratribus colloquens, dum inter se de morte confabulantur, quid super hac re sentiret ipse, non obscure monstravit. Dicebat eorum aliquis: Frequenter a Domino flagito, ut hanc mihi gratiam præstare dignetur, ne extra claustra moriar, sed Christiano ritu sepeliar cum fratribus, qui morienti consilio, et precibus assistant: tunc statim subjunxit Juniperus: Ego cupere, ut multi essent fratres qui pro me orarent, attamen ita despicibiliter mori vellem, ut non esset, qui mortuo parentaret, imo ita fostere mallet, quod nullus prope accedere auderet, nec funus pararet, sed tanquam rem abominabilem, et immundam in sterquilinum projicerent, volucris celi escam futurum, neque enim in vita, sed neque post mortem homini vili, et indigno honorem ullum vellem attribui.

Maria Aurilotta restauratrix Ordinis Carmelitarum, dum forte Parthenonis Antistita in eum sermonem venisset, quo de certo mortis genere præoptando disceptabatur, cum statim pro ea, qua plurimum excelebat animi sui demissione, nihil se in morte singulare aut petere aut desiderare velle affirmavit; si quid tamen sperari possit, optare se eo modo ex hac vita decedere, quo B. P. Franciscus Xaverius scribitur decessisse, videlicet desertus ab omnibus, ac cunctis rebus destitutus, quæ vel solatio, vel subsidio morienti esse possent. Utinam, inquit, magno huic Orientis Apostolo, qui Ducis sui ac Domini vestigia proprius est imitatus, vel in morte quam assimilari! ad ultimas devenerat terrarum oras, certus progredi, donec eum vel terra ipsa, vel vita deficeret: sed hæc prior deficere visa est, in deserto peregrini maris littore, in quod ægrotum epibate exposuerant, rerum omnium egenus jacebat, nullus, qui dolori medicinam faceret, qui animo solatium adderet, inveniebatur, solo numinis auxilio fretus, sola ejus ope sustentabatur, hoc ego mortis genus omnibus præterierim, plaris omnibus æstimarim. Antistita hæc audiens, stupere vehementer, nec satis intelligere, quomodo ea potissimum hora, qua vel maxime juvandus est homo, humano quis solatio, auxilioque destitui velit. Sed alio

collustrabatur lumine. Maria, quo clare ac dilucide perspiciebat, quantum in pura illa sufferentia bonum consisteret, unde fiebat, ut sine ulla relaxatione, quæ ex humano subsidio oriri solet, pati, idque non corpore solum deserto, sed, et spiritu vehementissime desideraret, illis etiam in rebus, quibus bonæ subinde animæ, quam maxime sibi cupiunt esse consultum. Nec minus quam desideraverat, consecuta fuit; nam eodem illo tempore supra mala plurima, quibus valetudo ejus tentabatur magna quadam ariditate mentis ac spiritus affligi cœpit, qua præcipue ab actuali unione cum Deo se præpediri sentiebat. Solent plurimi, etiam in virtutum palastra exercitatissimi hoc rei eventu non parum turbari; non tamen Maria, quæ tanta animi sui libertate, atque indifferente habitu hæc omnia sufferebat, ut a laude Dei non cessaret unquam, benedicens Dominum omni tempore cum Propheta, ac præludens illi, quam tantopere flagitabat Christi exemplo, ejusque servi Xaverii, supremo vitæ tempore, omnium destitutione.

Fuit et in hac disciplina non male quondam versata B. Virgo Aleydis, ex Cisterciensium familia sanctimonialis, quam ubi tristissima quedam elephantis invasisset, necesse fuit, a cæterarum convicta ac societate separare; sequestrata igitur atque in angulum quemdam cœnobii migrare jussa, ubi sola deinceps viveret, aut lenta potius morte consumeretur, gravissima tristitia affligi visa est: se mox Christi Sponsi ducis sui præsidio animos resumens, derelictionem hanc amare eamque præ suavissima mundi totius societate, etiam cum pari salutis suæ profectu, æstimare cœpit. Et placuisse Numini visa pietas fuit, Christum suum in cruce pendulum ab omnibus similiter desertum videre, ac conspiciere velle cœperat Aleydis, cum ecce, qui amantium atque imitantium se facere voluntates solet, visendum se illi offerre dignatus est, atque explicite ostendere, quid ejus causa olim esset perpeusus, quo illa tantopere recreata fuit, ut ad extremum usque constantissime perseveraret. *Historia Ord.*

Testamento legitime, pieque condito decedere.

Etiam hic exemplo prævisse Christum (saltem hic de testamento minus stricte ac-

cepto sit sermo) testatus est S. Ambrosius dicens: Auctor pietatis (Christus testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens: Apostolis persecutionem, Judeis corpus, Patri Spiritum, Virgini paranympum, latroni paradikum, peccatori infernum, Christianis poenitentibus crucem. Hinc S. Augustinus prudenter: Fac, ait, testamentum, dum sanus es, nam si expectaveris infirmitatem, omnino minis, vel blandimentis duceris, quo tu non vis. S. AUG., s. 45. Nam, ut S. Gregorius asserit, tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se: beatus quippe est liberum exire, quam per vincula libertatem expectare. Unde non pauci hoc consilium sunt secuti. S. GREG., l. IV, *Dial.*, c. LVIII.

Dagobertus Francorum Rex salutem animæ suæ invigilans, sana mente, sanoque consilio convocatis filiis, et turba amicorum, generale indixit placitum, in quo per testamentum filios suos Reges constituit, sed primo loco pro remedio animæ suæ, omnes regni sui Basilicæ Sanctorum famosas villarum donatione hæredes fecit, rogans, et obtestans per terribile Christi Nomen, memoriam sui in illis Ecclesiis, tribus in hebdomada diebus fieri, et pro animæ suæ remedio sacrificium offerri salutare. AMMONIUS, l. IV, c. xxx.

S. Carolus Borromæus, cum se anno 1576, ad succurrendum peste contractis accingeret, testamentum condere voluit, quo Missæ sacrificia mille ad animæ suæ salutem offerri, tria mortuorum officia a Clero persolveri, et annum sacrum unum fieri mandavit. Cereis circa funus accendi sex, nec plures, corpus suum loco humili ante gradus summi chori sepeliri jussit. Ecclesiæ suæ argenteam supellectilem, et vestiaria altaris ornamenta, collegio autem Canoniorum Bibliothecam legavit. Amicis ac propinquis, quorum neminem indigentem habebat, præter imagines quasdam piæ, nihil. De cætero, præter legata quædam piæ hæredes suos Christi pauperes scripsit, quos Mediolani in magno nosocomio degere, alique sciebat. LYRÆUS, *Doct.*, v.

Civis quidam Arelatensis, cum hærede necessario careret, ad extrema deveniens testamentum condidit, quo mobilium, et immobilium suorum hæredem statiebat animum suum. Proximi amici testamentum hoc inefficacisum proclamarunt, et irritum,

TOMUS III.

sibique omnia vindicare conabantur. Ad judices devoluta res est, dataque sententia, valere testamentum, ac recte hominem egisse, animamque ejus per manus pauperum adire posse ac debere possessionem legatorum; omnibus itaque divitiis fundatum est hospitale, quod modo in urbe superest, atque animæ illius censum precum suarum persolvit. *IBIDEM.*

B. Elisabeth Hungariæ Regis filia, Turingiæ Princeps, cum pridie, quam decederet, culpas integerrime confessa, Christum in pauperibus hæredem testamentum reliquit, vitem dumtaxat excipiens tunicam, in qua sepeliri corpus suum mandavit. MARC ULYSIUS, in *Chron.*

MISCELLANEA.

Unctio extrema Spiritualis.

P. Wolfgangus Gravenegg, quotidie cubitum concessurus, vespertina die totius expiatione, veluti sacro quodam extremæ unctionis imitamento usus, in mortuali expirantium situ tantisper supinus, crucem fronti, oculis, auribus alisque de more ilii Sacramenti sensibus impressit, additis accommodatis ad singulos sensus verbis. Verum ne tantum externorum sensuum expiatione suam circumscriberet pietatem, frontem cruce muniens internus sensus expiavit in hæc verba: Per istam sanctam crucem, et suam piissimam misericordiam indulget mihi Dominus, quoiquid memoria intellectu, voluntate, cogitatione deliqui. Tum ad sensus reliquos accommodata cuivis verborum formula expiandos progrediebatur quotidie providus æternitatis, quam per magna ingentis, ac pretiosis heroicarum virtutum actibus conditæ patientiæ documenta est ingressus. NADASI, *Pret. cogit.*, c. IV, n. 3.

Confessio frequens in morbo.

Orepesæ moriens P. Alphonsus Guillerms narrabat beneficia Dei Matris, cujus opere servatus esset in mari, ne in Anglos piratas incideret, solatio illi fuit, quod moretur ipso Dei Matris die. De illo sic annuæ: Magna lætitia mortis nuntium excepit, Deo

grates agens, quod in Societate moreretur. Peracta igitur totius vitæ confessione, ipse die purificationis Virginis sacro decessit, cum, et in morbo, et antequam in morbum indiceret, quotidie his confiteri ei solemne esset. *ib.*, c. x, n. 23.

SS. Angelorum præsidium expetitum.

P. Recupitus refert, se cum aliis multis Religiosis adfuisse morti ejusdam, ut ille loquitur, boni servi Dei (an de Societate ille fuerit non explicat) qui porrectum sibi ad osculum crucifixum osculari noluit, et aliis, Jesu ac Maria sacra nomina suggerentibus turbato vultu diabolom nominavit. Quæ res merito terrore concussit omnes, donec manifeste e signis certis collegere, illum dæmone nominato indicare voluisse, quod a dæmone prohiberetur, ne posset crucifixum osculari, et Jesum ac Mariam pronunciare. Quocirca omnis illa religiosa corona in genua procumbens bis petiit: S. Michael ora pro eo; S. Michael ora pro eo; ad quæ dæmon confestim evanuit, et æger facie serena crucifixum sæpius osculatus, sancta Jesu et Maria nomina in ore habens, felicem spiritum dedit. Fere simile huic est, id quod ii retulere, qui adfuerunt cuidam ægro nostro crucifixum, ut sibi admoveretur, annuente, sed eundem ori admotum postea non semel conspuente. Hic nostris, ob rem inexpectatam, admiratione, terroreque suspensus, ac ex ægro petentibus, eequid hoc esset? respondit voce, qua potuit, cupere se crucifixum osculo venerari, sed ait, quoties mihi illum ori admovetis, toties dæmon manum suam crucifixum inter ac os meum interjecit, ut imprimendum crucifixum a me osculum ipse accipiat. Atque illam ego manum conspuo, quam ille mihi præbet, invitæque ad osculum: non vero crucifixum meum Jesum, quem vos mihi optato porrigitis. Quocirca nostris flagrantem omnibus pro ægro in preces effusus, discessit ille animarum hostis: et æger crucifixi sacram imaginem, citra impedimentum est osculatus. En quam insidiosus tunc adest Angelus tenebrarum! Contra hunc ergo Angeli lucis ab ægro, atque a sanis pro ægro advocandi. In gaudio, inquit, laudatus initio Simeon, et exultatione cum sanctis proficiscitur anima (quando cedit a

corpore) et Angelis victoriæ hymnos concipientibus Deo, nec non eam Servatori Christo, et gloriæ Regi offerentibus, ipsumque cum ea simul adorantibus, cum universo cœlesti exercitu in quietis locum perducitur, in gaudium ineffabile, in lumen perpetuum, ubi non est moror, nec gemitus, neque fletus, neque anxietas, sed vita immortalis, et perennis lætitia cum omnibus Sanctis acceptissimis Deo in regno cœlorum. *ib.*, c. xii, n. 9.

P. Emmanuel de Lis mortem fuisse mortem hominis virtutis plane admirandæ, aiunt Goanæ annuæ. Hic in ipso mortis agone ea signa dedit, quæ, et acere cum inferno hoste certamen, et ingentem animi fiduciam indicarent. Nam, et S. Michaelem sibi contenta voce advocavit, et quod de S. Martino legitur, intrepido animo, et constanti voce, humani generis hostem increpitum ab se abegit: « Quid, inquit, quæris phantasma infernale? Non habes potestatem in me, mediante sanguine Jesu Christi. » Ad memoriam vero B. P. Ignatii intermortuis vocibus significavit, se mirificæ recrearii aspectu, quo mox fructurus erat beatissimæ illius animæ. Quæruunt nos, et operam tunc intendunt, quam maxime rebelles ne fidelem fidelium Angelorum manum opponat animus. Possunt isti, et volunt nos juvare, Deum vident, et nos in Deo, ac propter Deum amant: nec minus perita, et accurati sunt in nobis quærendis, quam dæmones in perdendis. Imo plus possunt voluntque pro nobis Angeli, quam dæmones contra nos. *ib.*, n. 4.

Omnium Sanctorum invocatio.

Alphonsus Rodriguez notum, et sacrum coadjutorum Christo militantium legioni exemplum, Deiparæ, ac Sanctorum omnium cultor fuit quam maximus. In 24 horas Sanctos distribute collocarat, certosque ex omnibus selegerat, in quorum custodiam diei totius omnes et singulas 24 horas daret: atque impetrandam in singulas horas illorum opem, certis precibus utebatur, in beatum cœlitum cœtum aliquando interorandum advocatus, ibique cum illis adeo familiariter versatus est, ut illos nosset, quasi ea in urbe Sanctorum natus, aut a primis annis fuisset educatus. Sub mortem,

peractis omnibus, qui itineri illi sacratissimo adorando rite usurpantur, post accerimos corporis cruciatibus, et animi turbamentis, triduo ultimo suavissima in malacia quiete pacis jacuit, animo jam in cœlum absconditus, qui animæ migraturæ quasi locum parabat. Totus in amabili silentio, vultu venerationis pleno, in pace in idipsum quiescebat, ultimo octobris, et vitæ, die cruciatibus iterum reducibus solo Jesu nomine obviam ibat, solatiis plenus. Ita dolorum ac vitæ finem invenit, quasi in cœli limine constitutus, in vigilia diem Sanctorum omnium. Alphonsus sibi jam olim devotum, ac notum excipientium præcedente, festum ipsum cum ipsa civium Beatorum Societate triumphante celebraturus. *ib.*, c. xxxiv, n. 4.

P. Cosmas Alemannus, ut apud universam cœli Republicam se redderet gratiosum, ac suavi precum impendio, sibi opem illorum pro morte quasi emerit, collecto ex omni vetustatis bibliothecarumque memoria Sanctorum omnium, quot essent catalogo, innumerablem illum numerum, quo potuit, numero secutus certe, non assecutus, effecit, ut neminem, quoad sciret, ex universa cœlitum panegyri præsterierit, cujus honori non unam ut minimum Dominicam, et Angelicam orationem dixisset, ut supremæ necessitati suæ auxiliarem manum a S. P. Q. cœlesti contra inferos pararet. Morbus illi omni virtute varie cumulatus, utpote, quem ille et Deo multis precibus poposcerit, ad eminentissimos virtutum actus animum surrigens continenter illud veluti dolorum laxamentum ore hilari versabat: Benedictus Deus; laudetur Deus; idque usque ad mortem, quam oppetit Mediolani. *ib.*, n. 5.

P. Nicolaus Gaudanus magna, et spectabili virtute vir, ad consideratam tremendi judicis justitiam sub morte tremens, P. Costero, et aliis, qui aderant, solatia suggerentibus in hæc verba erupit: Trajectus quidem nobis restat terribilis: sed vos, o Apostoli Domini, vos, o Martyrum agmina, vos Confessorum, ac Virginum candidatarum turmæ, poteritis vestris precibus imbecilem animam ex mari tam turbulento in cœlestem portum transvehere, poteritis sane Dei clementia. Mox mysteriorum munimentis exhilaratus, blanda morte, ac veluti subridens, in vitam immortalis solutus est Lovanii.

Cerei, et Reliquiarum sacrarum usus.

P. Lucas Crasovius primus et Polonis PP. in Societatem admissus, primus eorundem, cessit e vita. Hic accepto imminente mortis nuntio, conscientia expiata, reliquisque præmissis, morti jam proximus, eas, quæ Romano in collegio typis datæ sunt, patientis Christi imagines, accenso sacro morientium cereo sibi præ oculis collocavit, illius instar cerei in divinis obsequiis ardentem consumi desiderans, et illis aspicientibus alto cum silentio per quartam horæ partem attente, ac gemens, atque suspirans est immoratus. Mox migrantium preces e Breviario ipse indicans, eas recitari jussit, singulique respondit, in mortem lenem deinde suaviter resolutus. *ib.*, c. xii, n. 3.

P. Gonzalus de Medretos morti proximum ubi advertit se, advocatis Patribus, et cereo sacro accendi jussu, Credo in Deum Patrem, et reliqua Symboli dixit, fidenter professus. Tum, in hæc, inquietat, fide institutus sum, in hæc vixi, in hæc morior, testorque, si forte aliud in extremo agone excidat mihi, jam nunc indictum, et irritum velle; et prehensio generose ardente cereo: et lumen hoc, inquit, oculos illuminat corporis, sic ego credo a Domino Jesu illuminari omnem venientem in hunc mundum, quia ipse lumen verum, et æternum est. Dixit hæc: et plura inflammato sensu addidit, ac denum Sacramentis, acceptis, animam dedit, Sanctorum Reliquiæ deliciae pietatis.

Formulam sodalium aut votorum renovare.

P. Adrianus Pleunius Brugis moriens, optavit ut sibi in extremis posito formula votorum, et formula qua se B. V. sodales dedicant, legeretur. *ib.*, c. x, n. 27.

Voluntatis resignatio.

Hoc fecit morti se accingens Dux noster Jesus, tertio in terram, et in hæc verba effusus: Pater, non sicut ego volo, sed sicut tu; Pater mi, fiat voluntas tua: Non quod ego volo, sed quod tu; Non mea voluntas, sed tua fiat. Fecit id vite ac mortis immaculate adolescens Carolus Casarius Bono-

nienſis, qui innocentiam ſuam morte innocentium coronavit. Totus ille a Deo, et Dei viſes gerente conſcientiæ ſuæ arbitro ponderabat, ſanguinem cum ſpueret, febrī etiā urebatur, uſque dum ſenſim iret in cineres. Quicquid fractæ a tot ſanguinis egeſti libris vires, quicquid ſitis acerrima, quicquid medicinæ, atque alia morbo circumſtare ſolent, affligerent, Carolus in Dei corde, velut in Olympo voluntatis Dei ſedebat quietus, nil petens, nil recusans. Indicatam ſibi Dei voluntatem adeo adorabat, ut, ſi forte in lecto ſeſe verteret, ſi quies imperaretur, eo ſe modo relinqueret, in quo a voce imperantis reperiebatur. Ad vicinæ mortis nunciatæ nomen adeo ſe in Dei ita volentis amplexum projeçit, ut Patri mortis nuntio cum ſingulari tenerimæ hilaritatis ſignificatione dixerit, ut Hymnum: « Veni ſancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radium, etc. » inciperet; incipientem, et præſentem ſecutus Carolus, finitum cum Patre Hymnum a capite ipſe iterum ex integro repetiit, effuſa quadam animi corpori vale dulciſſimum facientis exultatione. Ubi crucifixum amplexu ſtringebat, ibat nunc in oſcula, ut abeuntis morientis Jeſu voluntati, et animæ abeuntem animam alligaret: jam illum pectori, jam cordi, nunc humero, nunc vero capiti imponebat, inter verba ignea, et geſtus illos, quales illorum eſſe ſolent, qui aguntur a Deo. Pauculis ante mortem horis affirmavit ſemel, atque iterum, et meditata bene ſententia, magno plane auxilio ſibi fuiſſe in via Spiritus, hoc propositum ardentem, et crebrius innovaſſe, cordique penitus inſculptum ſemper circumtuliffe: « Volo, volo, divinam voluntatem ſemper in me perfectiſſime adimpleri. » Spiritum, aiebat, omnem obedientiam, devotionem, omnia denique virtutis nomina, et res ipſas collectas reperiri in una, unicaque Dei voluntate quam exactiſſime, et perfectiſſime adimplenda. Addebat ſe, ut faceret quod vult Deus, libenter in purgantibus flammis uſque ad ſupremum iudicii diem, et ſi ita lubeat in æternum, quam libentiſſime paſſurum, ſi Deus ita vellet, id quod iterum affirmate repetiit, facturum ſe amore Dei et voluntatis illius adimplendæ gratia libentiſſime, ſeque aiebat probe advertere, quid, quantumve dixiſſet. De illius virtute, quam e voluntatis ſuæ cum divina conſensione hauſit 140, perſonæ atque has inter Sacerdotes quadragenis plures, exitium plane

teſtimonium dedere, ſeque nonnulli divinitus monitos ac permotos affirmare, ad exitium de Caroli meritis, gratia, gloria opinionem concipiendam, aut conſervandam. *lib.*, cap. vii, n. 1.

Joannis Ximenii, Coadjutoris, ſub mortem interrogati, num abire vellet in cœlum, hæc vox fuit: Nihil volo, niſi quod Domino pridie ſpōndi, ut ſanctiſſima ejus voluntas perfecte fiat. Bene dixit: « Nam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. » Et: Vita in voluntate ejus. » *ib.*, n. 2.

ALLIÆ INDUSTRIÆ.

« Cultus ſincerus et conſtans Paſſionis Chriſti, » quod medium ſingulariter effica expertus eſt Converter ſille, de quo Cæſarius in hunc modum ſcribit: Ante hoc quadrienniū, cum Prior quidam de Ordine Regularium in quadam corte Monasterii ſui hoſpites collegiſſet, et jam menſa eſſet preparata, ipſe tanto ſopore cepit affici, ut niſi oculus dormiret, moreretur. Qui cum in lecto ſe reclinaſſet, mox quidam ejus Converter, ſi alteri grangiæ præerat, dormitanti adſuit, dicens: Domine, cum licentia veſtra vado. Et ille: Quo vadis? Reſpondit Converter; ad Deum vado, quia mortuus ſum in hac hora. Et Prior: cum multi perfecti viri tranſeant per purgatorium, quid eſt, quia tu tam absolute dicis, te ſtatim iturum ad Deum? Ad quod ille reſpondit: Habebam conſuetudinem, ut quoties tranſirem coram Crucifixo, hanc dicerem orationem: Domine per illam amaritudinem, quam ſuſtinuiſti propter me in cruce, maxime quando anima tua egreſſa eſt de corpore tuo, miſerere animæ meæ in egreſſu ſuo. Et exaudivit Dominus orationem meam, meique miſertus eſt. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi morienti? Reſpondit: Videbatur mihi in agonia, quod totius mundus eſſet lapis unus, et premeret pectus meum. *CÆSARIUS, l. XII, c. xl.*

« Cultus ſanctorum vulnerum, » quod medium adhibuit Alquirinus, de quo Anales Cisterciensis ſic loquuntur: Fuit in Cœnobio Clarevallensī Monachus quidam, profeſſioni ſuæ morum integritate concordans, Alquirinus nomine, vir Religioſus atque ſpiritualis, ſobrius in victu, humilis in veſtitu, et durus admodum caſtigato-

corporis. Ita namque circumciſus, ac temperatus erat in his, quæ ad uſum corporis pertinere videbantur, ut omni voluptate, et vanitate depulſa, iſiſis neceſſariis, etiā parciffime uteretur, licet occaſio certum limitem excedendi ſe ei frequenter ingereret. Erat enim peritus in arte medicinæ. Et quamvis Magnates, et nobiles terræ operam ejus inceſſanter expectarent, et invitum, et renitentem per diverſa loca diſtraherent, ipſe tamen ſuper egenos, et pauperes intelligens, magis omnimodam eorum curationi ſollicitudinem impendebat. Nec modo ipſorum ægritudines, livoreſque curabat; ſed, et languentium putridas carnes, et ſanie defluentia membra ita dignanter, ita diligenter propriis manibus contrectabat, ut Chriſti vulnera fovere putaretur. Et vere ſic erat. Unde et ipſe Dominus famulum ſuum ſecretis conſolationibus ſæpius viſitabat, et ad opus Monasterii hujus mirabiliter incitabat. Quadam igitur vice vidit hujusmodi viſionem Clarevalle. In primis audivit quemdam præcurſorem cœleſtem præconia voce clamantem, et dicentem: Ecce Jeſus Chriſtus venit, ſurgite, occurrere cito obviam Salvatori. Cumque omnes certatim ad videndum Dominum properarent, tunc, et ipſe occurrit, et ſteſit in oſtio clauſtri, per quod venturus eſſe ſperabatur. Itaque, ingrediente Domino acceſſit, et adoravit eum, flagitans, ut acciperet benedictionem, et miſericordiam a Deo ſalutari ſuo. Qua percepta, cœpit eum attentius inſtuere, et miro pietatis affectu compatiebatur ei. Si quidem apparebat ei, tamquam dolens atque infirmus, confixus clavis, et lancea perforatus, ac ſi eadem hora de cruce depoſitus eſſet, ita ut ſanguis ubertim de plagis recentibus emanaret. Porro ipſe Dominus linteolos mundos, quaſi corporalia tenens, eiſdem vulneribus imprimebat, et cruce deterſo, in terram projiciebat, quos frater ille cum ſumma veneratione recolligens, ac multa devotione deoſculans, quaſi redemptionem animæ ſuæ, in ſinu ſuo reſpoſitos conſervabat. His, et hujusmodi revelationibus frequenter a Domino recreatus, non ceſſavit uſque in finem operari bonum ad omnes, maxime autem ad peregrinos, et pauperes ægotantes. Quam vero rigidus in penitentia ſervanda, quamque diſtrictus caſtigatoſ corporis ſui fuerit, ex hoc ſatis apparebat, quod, cum indigentibus cunctis cum fervore charitatis operam impenderet,

ſe ſolum in hujusmodi cura excipiebat; licet enim valetudinarius eſſet, et debilis corpore, nunquam tamen acquievit carnalem ſibi impendere medicinam, et totum ſe Deo committebat, quoniam ipſi cura eſt de nobis. Sciebat nimirum virtutes animæ in corporis infirmitate perfici, nec poſſe Monachum ſpirituales a Domino conſolationes percipere, qui circa conſolationuculas carnis ſuæ tenere ſollicitus, guſtare, et videre negligit, quam ſuavis eſt Dominus. Cursu itaque vitæ ſuæ laudabiliter peracto, cum jam tempus inſtaret, quo pro laboribus, et ſanctæ pietatis operibus æternam mercedem acciperet, infirmitate correptus ad extrema pervenit. Cumque venerabilis Abbas ad eum gratia viſitationis veniſſet, quaſiſvit ab eo quid ageret, vel quomodo ſe haberet. Ille vero reſpondit: Bene, chariſſime Pater, bene omnino mecum agitur, quia vadens vado ad Dominum meum. Quid ergo (inquit) corporalem moleſtiam ægre non toleras et mortis anguſtias non formidas? Ego, inquit, omnia tranquilla, omnia læta conſidero, quia jam præventus ſum a Domino in benedictionibus dulcedinis, quæ omnem mihi mororem a corde, et omnem pene dolorem a corpore tulit. Reſpondens itaque Abbas, dixit ei: Obſecro te, dilecte mi frater, ut propter Deum dicas nobis ad ædificationem noſtram, ſi tibi divinitus eſt aliquid revelatum. Tunc ait ille: Modo antequam huc intraviſti, apparui mihi miſero, et indigno Dominus Jeſus Chriſtus, qui propterea ac ſereno vultu me intuens, ac ſigna beatiſſime paſſionis ſuæ oſtendens, ait: « Ecce peccata tua deleta ſunt a facie mea, veni ergo ſecurus, veni, et vide, et deoſculare vulnera mea, quæ tantum dilexiſti, et toties confoviſti. Tali ergo promiſſione firmatus mori non timeo, quia poſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Et ſcietote, quia proxima nocte, ante vigiliam B. Martini migraturus ſum, dum opus Dei celebrabitur in Eccleſia; » et tali hora defunctus eſt. *Jo. MAGIOR, ſpec. ixem., diſt. iv, ex. 33.*

« Cultum cœlitum, » uti de Eusebio Cyrrillus ſcribit in hæc verba: « Adveniente die, quo venerabilis Eusebius migraturus ſe ſciet, tertio die præente languore febrim concuſſus valide, ſuper terram nudam, Magiſtri ſui Hieronymi non immerito, ſe nudum fecit deferri a fratribus, admonens, fratres ſingulos in proposito permanere.

Demum saccum, quo gloriosus induebatur Hieronymus, deferri fecit, et super se poni; ordinavitque se nudum, instar gloriosi Magistri, extra Ecclesiam (in qua jacebat S. Hieronymi cadaver) sepeliri. Post hæc, Communionem accepta, se Domino et glorioso Hieronymo commendavit, et sic per triduum lectione, corporalique visione privatus, circumstantibus fratribus Psalterium Passiones Domini, et alia legentibus, jacuit. Die autem mortis, duabus fere horis ante beatæ animæ exitum, cepit venerabilis Eusebius tam horribiles actus agere, ut circumstantes Monachi velut amentes jacerent in terra; nam quandoque, transversis oculis, junctis manibus, facie terribili, diraque voce clamabat: Non faciam, non faciam, mentiris. Post hoc, faciem in terram, quantum poterat firmans, clamabat: Adjuvate me, fratres, ne peream; Monachi autem flentes, ac trementes interrogabant eum: Quid habes, Pater? Quibus ille: Non videtis dæmonum agmina, quæ me debellare cupiunt? At illi: Quid te facturum volebant, cum diceres: Non faciam, non faciam? Et ille: Conantur, ait, ut blasphemus inveniar, et ideo sic clamabam. Tunc illi: Quare faciem abscondebas in terra? Ne, ait, aspectum eorum viderem tam terribilem, quod omnes penæ nihil sunt respectu illius. Inter hæc verba actus priores reiterans, sic ad extrema devenit. Fratres autem pavidi et stupentes stabant veluti mortui, nescientes, quid facerent. Ad extremam autem horam venient gloriosus eidem Hieronymus apparuit confortans eum; ad cuius adventum perterrita dæmonum turba illa evanuit. Et viderunt Hieronymum Monachi quidam. Alii autem has voces ab Eusebio audiebant: Unde venis Pater, quare tantum moratus es? cui vox, audientibus fratribus, dixit: Expecta, filii, ne formides, quia te non deseram, quem tantum diligo. Qua voce audita, brevi discursu tempore, venerabilis Eusebius expiravit. » Ad cuius corpus fiebant miracula præterite vite sanctitatem insinuantia. Inter quæ quidam Monachus sui monasterii præ lacrymis, et vigiliis lumine oculorum privatus, statim ut ejus corpus venerandum facie tetigit, oculorum lumen recepit. Quidam dæmoniacus etiam obvius sepeliendo corpori, liberatus est. S. CYRILL., in ep. ad Ap.

Obedientia perfecta: cuius medii pulchrum experimentum reliquit Conversus ille, cuius

historiam Joannes Major in speculo Exemplorum fuse describit, et etiam hoc in libro tit. Obedientia. Ex. 17 narratur. Hinc Frater Innocentius a senæ ad sepulchrum ejus accedente, et dicente: Frater Innocenti, mortuus es? Respondit: Pater quomodo est possibile, operatorem obedientiæ mori? *Id., dist. II, ex. 245.*

Patientia in morbis: cuius egregium specimen præbuit infirmus ille, de quo Joannes Major sequentem refert historiam: « Erat quidam sanctus Eremita, qui inter cæteras virtutes magnam habebat gratiam infirmis ministrare. Hic admonitus pro visionem ivit ad proximam civitatem, et dum venisset ad portam, vidit quemdam horribilem infirmum, et fetidum, quem etiam leprosi inter se sustinere non valebant. Huic cum S. Eremita servire cepisset, eum in Domino confortans, respondit infirmus: Sit Deus altissimus benedictus, qui mihi hanc donavit infirmitatem. Sed timeo, ne Deus mihi minuat præmium in caelis propter tuum humile servitium. Et ille: Non est ita, sed pro mea mercede jussus sum huc venire. Sic sancta lis quotidie inter illos oriebatur, et quanto plus eremita serviebat, tanto plus servire affectabat, et infirmus eum servire non sinebat, ut plus sustinendo plus præmiaretur. Tunc post annos quindecim expletos infirmus deosculari cepit manus Eremitæ, gratias eidem referens de pietate sibi impertita. Eremita autem rogabat Dominum ut ostendere dignaretur, qualiter hæc anima sancta de corpore egrederetur; et ostensum est. Cum enim ad horam novissimam devenisset, audivit vocem dicentem: Veni dilecte mi. Tunc illa felicissima anima ad omnes sensus corporis dicebat: Vobis regrator, quia mihi obedistis. Oculi vanitatem non concupivistis, aures vanitatem non audistis manus in deliciis delectata non fuistis, pedes ad vana non cucurristis, olfactus delicias contempnistis, gustus aliquid delicate non edistis: Tu igitur, o corpus meum, in pace quiesce, ut tempore opportuno recipias pro labore æternam remunerationem. Et hoc dicto cum concentu Angelorum sancta anima evolavit ad cælum. *Id., dist. IX, ex. 136.*

Quemlibet diem ultimum reputare: uti S. Laurentius Justinianus suavitatis dicens: « Tanto quisque fit ferventior in operatione, quanto incertior est in vocatione. Propterea omnis dies velut ultimus ordinandus est, quia qualem invenerit unumquemque suus

novissimus dies, cum de hoc seculo egredietur, talis in die novissimo judicatur. » Et paulo post subdit: « Venientem nemo hilaris mortem suscipit, nisi qui se ad illam composuerit. S. LAUR. JUST., de Lig. vit., c. IV. Hinc et Seneca admonet dicens: « Incertum est, quo loco mors te expectat; egregia res est, mortem paratum prætolari. Qui mori constanter didicerit, supra omnem potentiam, et extra omnem virtutem est. » *SENECA, ep. XXVI.*

Preparatio quotidiana: sic enim suavitatis Seneca dicens: « Nemo scit nostrum, quam prope versetur Deus. Sic itaque formemus animum, tamquam ad extrema ventum sit. Venientem nemo hilaris mortem excipit, nisi qui ad illam diu sese composuerit. » *SENECA, ep. XXXII.*

Vita bona: nam, teste S. Augustino, non potest male, mori, qui bene vixerit. Hinc non immerito mors echo vitæ vocatur. Unde et Poeta:

Ut tibi mors felix contingat, vivere discis:

Ut felix possis vivere, discis mori.

S. AUG., in l. de Disc. Christ., c. II.

Misericordiæ exercitium: ut S. Hieronymus suavitatis dicens: « Non memini me legisse mala morte fuisse defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit. *MARC., XIII, 33.*

Oratio propria, et aliena: sic enim Christus suavitatis dicens: « Vigilate, et orate; nescitis enim, quando tempus sit. » Sic Cancellarius Gerson exemplo suo docuit, dum paulo ante obitum pauperes ad templum B. Virginis dicitum duxit, omnesque post largam elemosynam in genua procidere, et orare jussit: Miserere Domine Jesu Gersonis servi tui. *BALTH. CHAVASS., l. IV, c. IV, de Perf. prud.*

Spes in Christo: nam ut S. Athanasius ait: Quemadmodum vespa, cum impetum petram, non eam lædit incurso, sed potius perdit stimulum; sic et mors incurrens vitam, quæ est Christus, non potuit eum tenere sed ipsa potius aculeum perdidit, adeo ut, quos prius terrebant aculeo, nunc insultant, ac dicant: ibi est tuus, mors, aculeus? *S. ATHAN., in tr. de Pass.*

Religionis ingressus: nam, ut S. Chrysostomus ait, « Religio hoc habet, ut, qui cum secuti sunt, primum in hac vita bonis multis repleat: deinde post vitæ exitum

hilaris et ludibundus ad Dei tribunal perducatur. S. CURY., h. de Comp. Reg. et Mõn. Hinc S. Bernardus quoque ait: « Spiritui a corpore exeunti a cella in cælum non longa, nec difficilis via invenitur: moriens enim aut vix, aut nunquam aliquis a cella ad infernum descendit, quia vix unquam aliquis, nisi cælo prædestinatus in ea usque ad mortem persistit. »

Sibi ipsi prius mori spiritualiter: uti jam olim etiam Ethnicus Seneca agnovit, et suavitatis dicens: « Optimum est, antequam optes mori. Incertum est, quo loco mors te expectet; tu illam in omni loco expecta. Egregia res est, mortem morte condiscere; quid ad illam carcer et custodia, et claustra? liberum mortem habet ostium. *SENECA, in Ep.* Hinc suadent nonnulli, ut cum Jobo dicat: « In nidulo meo moriar, et sicut Phoenix (sic enim aliqui legunt, ubi vulgata verbum Palma habet) multiplicabo dies. Id est, sicut Phoenix nidum sibi de odoriferis lignis facit, et se versus solem vertens, alis ventilatis ignem accendit, solem ipsam comburit, ut ex ejus cineribus vernis prodeat, ac in Phœnicem novum vertatur; Ita justis sibi moriuntur, ut rectius in Deo olim vivant.

Amor B. Virginis: maxime si per salutationem Angelicum saepe rogetur, ut in hora mortis non deserat; sic enim ipsa non semel promisit, se fideliter adfuturam; nec minus fideliter præstitit, quam promisit.

Rosarium mortis recitare: uti P. Didacus Martinez Societatis Jesu, cuius, adhuc circumfertur Beatissimæ Virginis Rosarium orandi modus, quod ille ipse rosarium mortis vocabat, docebatque alios idem pro quemque orare. Ad quinque majora grana, seu spherulas, intercalare suspirium illi erat:

Maria Mater gratia,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et Sancto Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

Ad minora vero: Domine Jesu Christe, concede mihi Majestas tua bonam mortem, per sanctissimam mortem tuam. Quod in fine postea illis versiculis absolvetur: Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine. *JO. NADASI, in An. crucifixi, p. 2, hebd. XXVI.*

ASCETICA.

In primis nosse debet Asceta, legem mortis omnibus rebus communem, atque adeo indispensabilem esse: ut pulchre Petrus Blessensis sequentibus verbis ostendit: «A præsentis mundi exordio rerum Creator omnium, licet rebus ipsis naturas indidit varias, in hac tamen conditione concludi voluit universas, ut et mobilitati, et corruptioni subsisterent, et tandem defectui subjacerent, siquæ reducerentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter processerunt.» Hinc est, quod amœnæ dici luci noctis succedat tenebrositas, prosperitati annexa est tribulatio, stabilitatem variat mutabilitas, illudit felicitatem adversitas, gaudium doloris aculeus vulnerat, et mors demum de præsentis reportat vita triumphum. Hæc quippe est regula, quæ nullam admittit exceptionem; hæc est summi Conditoris voluntas immobilis; hæc est, quæ nec summas dignitates, nec immensos potentatus excipit, sed sceptrâ ligonibus æquans, omnibus æqua, omnes in hoc efficit coæquales. Ferenda est igitur æquanimitèr lex communis, et illius dispositioni parendum humiliter, cujus consiliarius nemo fuit. PÆTRA. BLES., ep. cxvi.

Nosse debet cur Deus mortem incertam esse voluerit: nimirum quia, ut ipse Christus S. Birgitæ dixit: «Si homo sciret tempus mortis suæ, serviret mihi ex timore, et præ dolore deficeret. Ideo ut ex charitate serviat mihi, et ut semper de se ipso sit sollicitus, et de me securus, ideo incerta est hora exitus omnium.» Et merito, quando enim homo deseruit, quod erat certum et verum, necesse fuit et dignum, ut ab incerto affligeretur. S. Athanasius ait: «Est et alia ratio, cur inuile sit, finem, aut finis diem præsciri; ne, si is mature prænosatur, et tempora intermedia neglectim habeantur, et cum perendinationibus utantur usque ad dies fini conterminos.» Et paulo post subiungit: «Ideo finem cujusque, qui per mortem obvenit, silentio textit, ne occasione istius scientiæ inflati pro majori parte temporis sese negligentes habeant. S. Antonius quoque ait: «Propterea incertam nobis quia, ut dicit Cyprianus, qualem te invenit Dominus, cum vocat, talem pariter te judi-

cat;» de Pen. dist. 4, c. Numquid. S. ANTON., p. 1, lit. v, c. 1, § 9. Stultum autem est, vivere in illo statu, in quo quis non vellet mori, et cum de momento in momentum hoc possit accidere, ratio debet urgere ad pure vivendum, propter hujusmodi incertitudinem.

Nosse debet solidum modum sese ad mortem præparandi: nam sancti viri, teste S. Gregorio, qui brevitatem vitæ in desinenter aspiciunt, et tanto se sollicitius mansuris præparant, quanto nulla esse transitoria, ex fine semper pensant. S. GREG., in Mor. Sed et horam ultimam Dominus noster idcirco nobis esse incognitam voluit, ut dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Porro in quo consistat præparatio ista, clare videtur Servator apud S. Marcum indicasse, dum dixit: «Videte, vigilate, et orate; nescitis enim, quando tempus sit.» MAR. XIII, 33. Ubi per verbum *Videte*, commendat assiduum memoriam mortis; nam, uti S. Gregorius loco citato dicit, «sic mors ipsa cum venerit, vincetur, si priusquam veniat, semper timeatur.» Per verbum *Vigilate* autem quid indicare voluerit, pulchre idem S. Gregorius l. c. significavit dicens: «Proinde, Fratres mei, in conditione mortalitatis vestræ oculos figite, venienti vos Judici per fletus quotidie lamenta præparate.» Et cum certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitæ providentia incerta cogitare. Audite, quid sapiens Salomon dicat: «Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia, erunt apud inferos, quo tu properas. Quia ergo et venturæ mortis tempus ignoramus, et post mortem operari non possumus, superest, ut ante mortem tempora indulta rapiamus.» Unde recte nonnulli suadent sanctæ femine, Ida nomine, exemplum sequendum, ei sicut illa feretrum, quod construi ante mortem jusserat, bis quotidie panibus et aliis alimentis in pauperes distribuendis implevit; ita nos quoque tumbam nostram delectatione seriâ peccatorum commissorum, et bonorum operum sedulo exercitio impleamus. Per verbum *Orate* denique indicavit Christus, quod cum tempore mortis præcipue tentationes nobis graves ex demonum calcaneo nostro insidiantium furore imminuant: ad hæc autem superandas semper quidem, sed tunc præcipue ob majorem corporis animique debili-

tatem sufficientes non simus, oculos nostros ad celum convertamus, et inde auxilium, roburque ad lucram hanc fortiter, feliciterque obeundam cum humilitate et fiducia expetamus. Id., h. XIII, in Evan. Aliqui ad hanc præparationem etiam requirunt, est ad illa accidentia quæ in omni vere periculoso morbo plerumque accidunt nempe mortis metum, dolorem corporis, et amissionem voluptatum, sollicitè nos præparemus, et timorem quidem mortis amore divino, dolorem corporis conscientie tranquillitate, intermissionem voluptatum generoso earum contemptu vincere, aut lenire saltem studeamus. S. Antonius hunc ipsum modum sequentibus verbis docet: «Expectatur debite mors, si pia præparatio fiat secundum Domini hortamen dicentis, Lucæ 2: Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ, etc.» Ubi tria possunt notari. Primum est, a vitiosis delectationibus abstractio: Sint lumbi vestri præcincti: in lumbis enim est motus delectationis veneræ, cinctura autem est quædam restrictio laborum, significans mortificationem delectationis. Secundum est, in operibus fervens dilectio: Lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucerna significat mentem, sive conscientiam: Ignis ardens, fervens est charitas, juxta illud Lucæ 12: Ignem veni mittere in terram. Manus sunt opera. Tertium est, viva vigilatio: Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Vigilant enim tales, non solum in prima vigilia, sed in secunda et tertia, et quousque vigilat Dominus. Est enim prima vigilia ætas juvenutis; secunda virilitatis; tertia senectutis, in iis quilibet vigilare debet, coherendo bonis operibus. DREX., in Prod., c. II, § 10.

Nosse debet, ob quam præcipue causam mors formidanda existat: quæ quidem juxta Josephum Mansi alia esse non potest, quam peccatum, quod nos ad æternam condemnat mortem. MANSI, d. 1, n. 7. Ast qui semper continueque mortem meditabitur, quasi impossibile est, ut mortalitatis culpæ maculetur nævo, dicente S. Ephrem: Qui semper mortis recordatur, raro aut nunquam peccabit. Hinc et interrogatus aliquando Musonius: Quis bono vitam suam esset terminaturus exitu? in hæc memorabilia respondit verba: Qui postremum vitæ diem sibi instare præposuerit. S. EPHR., de Com. ord.

Nosse debet praxim, et causam, quotidie

sibi ipsi moriendi et causam quidem assignavit S. Chrysostomus dicens: «Quando quidem enim fieri minime poterat, ut, qui homines essent ii infinitas mortes tolerarent, ostendit, ne hac quidem ratione præmia esse imminuta; nam ut natura sortiti id simus, semel tantum ut moriamur; tamen voluntate id quotidie perpeti, si id in animum induxerimus, dedit Deus.» Unde liquet, fore, ut cum tot hinc coronis discedamus, quot dies hic vixerimus, imo vero multo pluribus: licet enim die uno, et semel, et bis, et sæpe mori. Hoc et Propheta significans dixit, Ps. XLIII: «Tota die propter te mortificamur, æstimati sumus sicut oves occisionis.» S. CURS., apud Mansi, dis. 1, n. 8. Praxim vero ostendit Mansi his verbis: Ut autem ad mortem frequentius considerandam, inducamur, meditari non abs re fuerit, quot, quantum stimuli nos ad hanc praxim impellant per omnes vitæ nostræ actiones, et in primis quidem, dum mensæ ad vitam sustentandam et prolongandam accumbimus, ut notat Seneca, aliena vivimus morte, scilicet piscium, avium, aut aliorum animalium, quæ in nostris sepelimus ventribus. Dum ad plumas, ingredimur dormituri, somnum mortis imaginem esse, maximamque hominum partem in lecto a mortis falce rescissam fuisse, considerare possumus. Nostri occasus, Occidentem ultimi termini nostri representat. Ecclesiam adeuntes, et intrantes, cœmeteria pertransimus, aut ad sepulchra offendimus, et ita de aliis totius nostræ per diem vite actionibus resolvendum, ut semper in iis foveatur memoria mortis.» Ad quam, ut S. Carolus Borromeus, inquit, respicit, institutusque est ritus aspersionis cinerum super fidelium capita; nec non cœmeteria sepulchræ monumenta (prout ipsum hoc significat nomen) aliæque docent defunctorum memoriæ. Ideoque Nazianzenus nos admonet dicens: «Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone. Ita enim fiet, ut cum ipsi occurrendum erit, superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo exstruas. Hinc enim assequeris, ut eam pro spirituali statua in ultimo corde habeas.» Ib., n. 9.

Nosse debet, cur memoria mortis apud plerosque homines tam sit inefficax; nimirum quia, ut Idiota recte notavit: «Etsi memoriam illius quandoque habeam in mente, et me moriturum veraciter credam;

quia tamen eam tanquam fatuus, imo tanquam demens, quasi procul sit, considero, vitam meam miseram emendare negligo, et conversionem meam differo, ac in voluptatibus et delectationibus corporalibus, peccatisque variis ac diversis tempus meum miserabiliter expendo ac consumo.» *Ibid.* l. de *Contempt. mor.*, c. 1.

Nosse debet, cur mors somnus dicatur; nimirum quia, juxta S. Carolum Borromeum, mors et somnus in tribus assimilantur; eo quod sicut dormientes dormiunt eum spersurgendi; ita et fidelis moritur cum spe resurgendi; unde dicebat Psalmista: «Numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?» Iterum sicut dormientis vigilat anima, dicente illa fidei anima: «Ego dormio, et cor meum vigilat;» ita et morientis viva permanet anima. Post somnum homo resurgit vegetior et robustior; ita et post mortem tandem resurgent Sancti cum corporibus gloriosis et impassibilibus, aliasque gloriosas illis habentibus dotes, de quibus Apostolus in hæc verba ad Cor. scribit: «Seminat in corruptione; seminatur ignobiliter, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. S. CAROL. BORR., in *Or. fun. reg. Hisp.*

Nosse debet solidum modum consolandi eos, qui ob mortem propinquorum tristantur: quem in finem conducent sequentes SS. Patrum sententiæ. In primis S. Hieronymus sic loquitur: «Destitutos se a morientibus conquerunt, et vivos filios, aut propter honores, aut propter negotia, peregrinis regionibus credunt, et gaudent tota vita sine affectibus commorari, dummodo capiant, quo cupiunt de suis pignoribus adipisci; et ut ad palatia pergant, peregrinantur; ad studia dignitatis navigant acquiritenda; vel ad causas patrimonii aliquas explicandas; cum labore et periculo proficiscentes, omnes impellunt, nec secum vacare, quos diligunt, patiuntur: Et ut ad palatia coeli, ad studia Christi, ad honorem vitæ perpetuæ, et patrimonium possessionis æternæ cum securitate valeant pervenire, nemo filios suos a se libenter gratuletur abscedere.» S. Hieron. in *ep. ad Thyas*. Deinde S. Cyprianus: «Quantum prosit, inquit, exire de sæculo, Christus ipse salutis aique utilitatis nostræ Magister ostendit, qui, dum discipuli ejus contristarentur, quod se jam dicere recessurum, locutus est

ad eos dicens: Si me dilexissetis, gauderetis, quoniam vado ad Patrem; docens videlicet et ostendens, cum chari, quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potius, quam dolendum.» S. Cyprianus, *de Mort.* Tertullianus: «Cur enim doleas, ait, si perissem non credas? cur impatienter feras subduc-tum interim, quem credis reversurum? Protectio est, quam putas mortem.» Et iterum: «Cur immoderate feras obesse, quem mox subsequeris?» Cæterum impatientia in hujusmodi, et spei nostræ male ominatur, et finem prævaricatur, et Christum lædimus, cum evocatos quosque ab illo, quasi miserandos non æquanimitè accipiamus: «Cupio, inquit Apostolus, recipi jam, et esse cum Christo.» *Phil.* 1, v. 23. Quanto melius ostendit votum Christianorum! Ergo votum, si alios consecutos impatienter dolemus, ipsi consequi nolumus. *TERTUL. l. de Patient.*, c. VIII.

Nosse debet causas, ob quas mors in mundo a Deo permessa est: nimirum 1. Ut peccatum in partu suo monstruoso tanto clarius cognosceremus, et detestaremur. 2. Ut mundi vanitates, et carnis illecebras tanto facilius aspernaremur. *FAB.*, conc. II, in *Dom. 13 post Pent.*; hinc S. Gregorius suavitè: «Caro, cum concupiscitur, pensetur, quid sit exanimis; intelligetur, quid ametur.» Tunc enim quodammodo dici potest cum Daniele: «Ecce numina vestra! ecce quem colebatis!» S. GREG. I. XIII, *Mor.* 3. Ut effrenata peccandi licentia coerceretur; quem ad finem mors perinde, ac patibula publicæ erecta, plurimum conducit. 4. Ut divites humilientur, si videant mortem omnia æquare, nec speciale se præ pauperibus ab hoc tribulo exemptionem habere. 5. Ut pauperes solatium habeant, si meminerint, per mortem quotidie sibi finem malorum imminere. 6. Ut occasionem habeamus, varias in mortis lucta virtutes exercendi. Ut major Deo gloria exsurgat, si a morte nos resuscitet.

Nosse debet, et curare, ut ardens dissolutionis suæ, Deique videndi desiderium in se, aliquæ excitare studeat: hoc enim vel maxime Deum ab amicis suis requirere, ex variis historiis patet, ex quibus habetur, aliquos id circa dumtaxat a coeli ingressu fuisse suspensos quod ejusmodi in se excitare desiderium neglexerint. Ut autem tale desiderium tanto facilius eliciatur, proderit ponderare ea, quæ Franciscus Petrarca

pro hoc fine in quodam suorum Dialogorum suppediat his fere verbis: «Dolor. En Morior. Ratio. En te Dominus præstolatur. Accelera, ne titubes, ne cuncteris, pone suspicionem, neu tu tibi carior es, quam illi? quis vocatus ab amante diffidit? adhuc forte miraberis timuisse, quod optandum est. Multa enim solutus sciet, quæ victus nullo unquam studio didicisset, usque adeo, ut arcana rerum nosse volentibus, ad quæ mortali velo obsita acies vestra non penetrat, quæ profecto cupiditas naturalis est homini, sed vehementior studioso, nil morte melius putem, nihilque quod brevis, adoptatum fuerat. Dolor. Morior. Ratio. Imo obdormis, fessusque vitæ, ut arbitror, requiescis. Dolor. Morior. Ratio. Vade in æternam requiem. Nunc primum vivere incipis. Bona mors initium est vitæ.

Nosse debet utilem modum, eos, qui morti viciniore sunt, ad eandem pie ac Christiane abundantiam disponendi. Qua quidem in re proderit instructionem Concilii Nannetensis observare, quod sic loquitur: «Cum Sacerdos audierit, aliquem infirmam in sua plebe; quam citius ad eum pergat et ingressus cubiculum, aquam benedictam super eum, et per omne cubiculum aspergat cum Antiphona: Asperges me, Domine et versu: Exurgat Deus: Deinde dicat orationem: Deus qui Sacerdotibus tuis totam præceteris gratiam contulisti, etc. Deinde cantet septem psalmos penitentiales cum precibus pro infirmis. Post hæc omnes jubeat extra cubiculum secedere, et appropinquans lecto, quo infirmus decumbit, eum blande leniterque alloquatur, ut omnem spem suam in Deo ponat: ut flagellum Dei patienter toleret: ut hoc ad purgationem, et castigationem suam provenire credat: ut peccata sua confleantur, ut emendationem promittat, si Dominus vitam concesserit: penitentiam pro culpis missis spondeat: ut substantiam suam dum adhuc sensus et ratio in eo vident, disponat: ut peccata sua eleemosynis redimat: ut his, qui in se peccaverunt, indulgeat: ut rectam fidem et credulitatem teneat: ut de Dei misericordia nunquam desperet. Cum his et ejusmodi allocutionibus fuerit mens infirmi relevata, data benedictione recedat Sacerdos, non post multum reversurus, detque locum, ut ægrotus de peccatis suis possit cogitare.» Circa quam quidem Concilii instructionem duo specialiter adhuc sunt notanda et observanda.

1. Ut, si quidem disponere de substantia sua in salutem animæ voluerit, id per seipsum potius, quam per alios faciat; nam ut sapienter S. Gregorius advertit, tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, agat ipse, dum vivit; per se beatus quippe est, liberum exire, quam post vincula libertatem quaerere. 2. Ut quandoquidem, teste S. Joanne Climaco, diabolus homini sano persuadet, Deum esse infinite piæ, ac prout ad indulgendum, quatenus homo parvi pendat peccata, atque audentius peccet; agonizanti autem persuadet interdum, Deum esse rigorosissimum, et peccata sua esse plurima et gravissima, ut hac ratione diffidat, ac desperet. S. GREG. I. IV, *Dial.* c. LVIII; idcirco arripendum tunc S. Gregorii sciatur esse consilium, in hæc fere verba datum: sicut, dum vivimus, debemus bona nostra a memoria repellere, ne extollant; ita appropinquante exitu, ea plerumque juste ad memoriam revocemus, ut fiduciam præbeant, et desperatum timorem premant. *IDEM*, l. XXIII, *Mor.*

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ex occasione thematici: Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, *Rom.* V, 14, potest mors Reginæ comparari, et potestas ejus in omnes homines explicari. Ut autem hoc aptius fiat, potest imago mortis utpote plena mysteriis exponi, dicique, quod: 1. Pingatur sine oculis; quia neminem respicit, «sed æquo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres,» ut Horatius canit. 2. Sine auribus; quia est inexorabilis, et ut Boetius cecinit:

Non, heu, quam surda miseris avertitur aure,
Et fentes oculos claudere sæva negat.
BOETIUS, l. I, de *Consol.*

3. Sine naso; quia nec odores, nec fetores curat. 4. Sine cute et sanguine; quia pulchritudine non capitur. 5. Sine veste; quia non miseretur inopia, nec veretur divitiis. 6. Sine judicio sexus; quia maribus æque ac foeminis dominatur. 7. cum falce; quia nemini parcat, et triticum æque ac zizania demetit. Unde merito quisque eam veretur, et ad illius adventum se præparat, ut velut

tela prævisa minus feriant. Vide Fabrum in conc. Funer. exh. 31.

Ex occasione thematis : « Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo. » Luc., xix, 43. Possunt terribiles circumstantiæ mortis explicari, et 4 ostendi, quomodo « circumdabunt inimici vallo, » nempe demones, peccata, curæ seculares. 2. Quomodo « coangustabunt undique, » quia supra se videbit severum Judicem; infra se infernum; intra se vermem conscientiæ; extra se amicos deserendos cum bonis; ante se mortem appropinquantem; retro se iudicium incertum. 3. Quomodo « ad terram prosterent, » tum projiciendo in sepulchrum, tum terrenis cogitationibus et sollicitudinibus involvendo. 4. Quomodo « non relinquent lapidem super lapidem, » quia bonis corporis et fortunæ, imo et fructu suorum operum et laborum privabunt; et ipsa etiam peccatoris proposita ac vota condident, quæ omnia fusiis apud Fabr. conc. 4 in Dom. 9 post Pent. explicata videri possunt.

Ex occasione thematis : « Erunt signa in sole, et luna, et in stellis, et in terris pressura gentium : » possunt explicari tribulationes morientium, et earundem remedia. Et 4. quidem ostendi, qualia signa in soles sint futura, id est, in ipsa vita, quæ ut sol vivifloat omnes hominis partes; sed tunc clara signa per morbos accipiet, quod occidere debeat. Sed quia nutu Dei evenit, patienter ferendus hic est oceanus, quia Deus faciet, ut cum majori gaudio hic sol iterum oriatur. 2. *In luna* : id est, in rebus terrenis, seu fortunæ bonis, quæ perinde ut luna mutationi sunt obnoxia, quæ tunc incipient non dare lumen suum, hoc est, nullum morientis solatium præstare poterunt; unde merito prius spernenda, et in cœlum præmittenda sunt, ut vel sic solatio esse possint. 3. *In stellis* : Id est, propinquis et amicis, quæ et ipsæ cadent, et retrahent splendorem suum; unde rectius cœlestium amicorum patrocinium, quod tunc stabile erit, quaeritur. 4. *In terris*, id est, corpore, ubi dolores, alicque miseriæ prævalebunt; ad quos merito per patientiam nos prestare debemus. Quæ omnia fusiis explicata videri possunt apud Fabr. conc. II, in Dom. 1 Advent.

Ex occasione thematis : « Laudavi magis mortuos, quam viventes, » Eccl., iv, 2, possunt commoda mortis explicari, quia scilicet, ut

S. Bernardus ait, triplex in morte congratulatio est, homines ab omni labore, peccato, et periculo liberari. Hinc et cygnus, ut est in Fabulis quæsitus, cur in morte caneret, respondit : Quia neque cibi quaerendi cura amplius cruciabor, neque Aucupum laqueos mortuus extimescam. Quæ omnia vide fusiis apud Fabr. in conc. funebr. exh. 23. S. Bern., in *Trans. Malach.*

Ex occasione thematis « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus, » Ps. cxv, 15. Potest differentia inter mortem justorum et impiorum explicari; quia videlicet. 1. Mors Justorum est *matura*, impiorum *immatura*, cum illi inferantur in celeste horreum, ut triticum electum; hi vero, zizania, in faveam inferni adjiciantur. 2. Quia illorum mors est *pacata*, horum *turbulenta*; de illa enim dicitur : In pace in idipsum dormiam; de hac : Morietur in tempestate anima eorum. 3. Quia illorum mors est *hilaris* (quia ut S. Bernardus ait, sit ibi quies a laboribus, sit jucunditas de novitate, sit securitas de æternitate) horum vero *tristis*, quia mors peccatorum est mala in amissione mundi, pejor in dissolutione carnis, pessima in tormentis inferni. 4. Quia illorum mors *bene olens*, et *gloriosa*, horum vero *fœtida* et *infamis*; ut jam olim Salomon prædixit, dicens : Memoria Justi cum laudibus, et nomen impiorum putrescet. S. Bern., s. xli, 5. Quia illorum mors tantum temporalis, horum autem æterna est; nam illi ibunt in vitam, hi in supplicium æternum, quod, teste S. Augustino, mors potius dicenda est, quam vita, nulla quippe major et pejor mors est, quam ubi non moritur mors. S. Aug., de *Civ. Dei*. Vide hæc apud Fabr. exh. funebr. 27.

Ex occasione thematis : « Quo vadis? » Job., xvi, 5, potest ostendi, quomodo et cum quo fructu mortem præmeditari debeant auditores, nempe si 1. Cogitent se per mortem tendere ad locum supplicii nobis destinatum, videlicet ad sepulchrum; hinc enim ut eductis ad mortem omnia fastidia erunt. 2. « Ad desertum et locum vastæ solitudinis : » ubi nihil invenient, nisi quod præmiserint : hinc enim ad opera bona et eleemosynas præmittendas incitabuntur. 3. « Per lacum congelatum et lubricum : » propter periculum ex subsequenti iudicio et sententia subeundum; hinc enim armare pedes affectuum firmo timore Dei et amore oportet. 4. « Ad perpetuam mansionem : »

quia in quocumque loco ceciderit lignum, ibi erit. Ergo conandum potius ut ad Austrum, quam ad Aquilonem cadat. 5. « Ad eum, qui misit nos in vineam, » ut fructum operaremur; hinc enim salutaris stimulus ad bene operandum haurietur; si enim, ut S. Hieronymus discurret, tanta curia pertimescitur iudicium pulveris, qua intentione cogitandum est, qua firmidine prævidendum tantæ iudicium majestatis. S. Hier., in *Epist.* Vide hæc fusiis apud Fabr. conc. 5 in Dom. 4 post Pascha.

Ex occasione thematis : « « Dispone domui tuæ, quia morieris tu, et non vives » Is., xxxviii, 1. 1, potest ostendi, quomodo quilibet se ad bonam mortem disponere debeat, videlicet. 1. Disponendo de *domo spirituali* seu conscientia, per Sacramentorum susceptionem, seriam penitentiam, pioque actus illi articulo convenientes. 2. Disponendo de « *domo materiali* seu familia, » reddendo, quæ ad alios pertinent; testamentum condendo; et si quæ dubia vel arcana, enodanda, vel revelanda, ad cavendas lites vel alia incommoda videbuntur, non negligendo. 3. Disponendo de « *domo cœlesti* : » hoc est, ea media eligendo, quæ ad cœlestem gloriam obtinendam præ cæteris efficaciam videbuntur, prout fusiis Faber exh. funebr. 29. ostendit.

Ex occasione thematis : « Modicum plora super mortuum, quoniam requievit : » Ecc., xxii, 10, potest ostendi, quomodo mortui plorandi sint; nimirum. 1. *Moderate*, ut Siraides in textu citato innuit, et confirmat S. Augustinus, dum ait : « Permittantur pia corda carorum de suorum mortibus contristari dolore sanabili, et consolabiles lacrymas fundant conditione mortali, quas cito reprimat fidei gaudium, qua credunt fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, et ad meliora transire. » Hinc et Christus pro Lazaro plorans, infremuit spiritu in semetipso, nempe natura motum reprimens, ne in has lacrymas indecoras prorumperet. S. Aug., s. xxxiv, de *D. post 2. Prudenter* : non inani dumtaxat fletu, sed potius mediis ipsi proficiis adhibitis commiserationem ostendendo : nam ut recte advertit S. Chrysostomus : « honor mortuo non fletus, non ejulatus est, sed hymni et psalmi, et vita optima. Vis honorare mortuum ? fac eleemosynas. » S. CHRYS., h. lxxi. 3. *Religiose* : Sic enim Apostolus monuit dicens : « Nolimus vos ignorare, Fratres, de

dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent : » JOAN., i. *Thess.* Sed certo credentes, quod, si bene vixerunt, in altera vita felices exituri, pro nobis oraturi, et avide nos expectaturi sint, ut adeo potius occasionem sumere debeamus, ipsorum exemplo bene vivendi, ut eos in cœlis videre, et ipsis in æternum cohabitare possimus.

Ex occasione thematis : « Justus Dominus in omnibus viis suis : et Sanctus in omnibus operibus suis. » Ps. cxliv, 7. Aut, « *judicia tua abyssus multa* : » Ps. xxxv, 4. Possunt variæ quæstiones circa diversa genera mortis proponi, et resolvi. Cur tam multi ante maturationem moriantur? Ad quam quæstionem respondet S. Augustinus dicens : Vocantur ante tempus boni, ne diutius vexentur a noxiis : mali vero et impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. Plures rationes afferit, et fuse explicat Mathias Faber exh. funebr. 32. 2. Cur quandoque justus tam acerba morte occumbat? nempe ob expiationem peccatorum, augmentum gloriæ, exemplum bonorum, maiorum terrorem, et ne tam de via, quam de viâ termino solliciti esse discamus, ut pluribus deducit Faber exh. funebr. 33. 3. Cur vita humana modo tam brevis sit? Nempe quia nunc lex gratiæ est, atque adeo convenit, ut vita nostra, quæ nihil aliud, quam exilium, cursus in stadio, et labor est, citius absolvatur, id quod fusiis Baber conc. 7 in festo S. Catharinæ ostendit, ubi alias etiam rationes hujus brevitatæ afferit. 4. Cur mortem incertam esse voluerit Deus? nimirum quia alicuique multa peccata committerentur, et multa bona omitterentur, ut idem Faber exh. 37 funebri fusiis iterum diducit, ubi alias etiam rationes afferit.

ALII CONCEPTUS.

Cum Alexander navigaret per quemdam fluvium Paradisi, ut veniret ad hortum ejus, quidam senex de rupe apparens, ei suavit regressum, et dedit lapidem pretiosum pulcherrimum, dicens ei, quod in ejus pondere agnosceret valorem suum. Lapis ergo ille positus in statera nudus omnia ponderabat quæcumque in alia lance ponebantur; cooperatus autem pulvere, nihil ponderabat, sed ei præponderabat festu-

ca una. Quale autem sapiens hic senecio Alexandro, ad totius Universi dominium anhelanti, per hoc tradere voluerit documentum, facile conjici potest, declaratque Bellovacensis dicens: « In hoc dabatur ei, quod vivus omnibus aliis præponderabat, mortuus autem, et oportus sepulcro, nihil. » Quoad usque mundi hujus Reges et Monarchæ vivunt, Provincias et Regna, imo universum mundum per armorum suorum potentiam contremiscere et respirare faciunt, qui tamen, mox ut mortis necessitati succumbunt, ventorum fiunt ludibrium et jocus. BELLOV., p. 1, l. II, d. 4.

Propheta Regius ait: « Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam; » ubi mox subjungitur: « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum, » in quibus porro verbis singulariter observanda sunt illa; « In terram suam. » Numquid enim Regio Psalt. sufficiebat dicere: Principes, haud secus ac alios in terram ac pulverem redigendos esse, absque eo, quod diceret, illos convertendos esse in terram suam? Modus hic loquendi Regii vatis suo non caret mysterio; quia Principes et Magnates multas quidem possident terras suas, multis imperant Provinciis; at vero in hora mortis easdem deserentes, in sinum terræ suæ reconduntur. Philippus Imperator in hippodromo ab equo delapsus, et resurgens, locum, quo in arena jacuerat, cernens dixit: Ecce quam exigua arena nos capiat, qui totius orbis dominium stulte affectamus. Porro, terra propria Principum est proprii corporis cinis et pulvis, in quem, sicut et omnes alii, in hora mortis convertuntur, et ideo revertuntur in terram suam. At vero quid sequitur? In illa die peribunt omnes cogitationes eorum, in illa ipsa die, qua animam exhalant, demoliantur omnes, quas in capite formant, machinæ, evanescent omnia consilia, quæ tumidi et elati de subjuganda sibi terra in corde suo conceperant. Henricus IV Rex Franciæ validissimum armaverat exercitum, per quem suspensum tenebat universum mundum Christianum, consiliorum suorum nescium. At vero mox ut ex improvviso occisus fuit, dissipatus est universus ille exercitus, prostratæ sunt omnium consiliorum suorum machinæ, quia in illo die peribunt omnes cogitationes eorum. MANSI, d. vi, n. 9.

Refert S. Hieronymus, quod Xerxes Rex potentissimus, qui montes æquavit, et ex-

siccavit maria, dum die quadam ex eminenti loco innumerabilem exercitus sui in acie collocati vidisset multitudinem, amare fleverit, considerando, quod intra centum annorum spatium nullus eorum inter vivos superstes esset. « O si possimus in talem ascendere speculam, inquit Hieronymus, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, et regna regnis collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios in servitute trahi, illos nasci, illos mori, et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos. » S. Hieron., l. II, Ep. II.

Quærunt nonnulli, cur in manibus mortis potius videamus depictam falcem, quam ense, vel sagittam, sive fulmen, aut aliud simile stragis faciendæ instrumentum? Certe non est hoc minis inventum, sed in simili forma visa est mors a S. Joanne, Apocalypsi, c. xiv, ubi falcis frequens sit mentio. Observandum proinde est, proprium falcis esse quod in agro vel prato ex æquo secet herbas, et spicas, tam altas, quam humiles, omnes pariter prosternando; ita quoque mors in hora prædestinata adveniens nullum habet moribundorum respectum, sive sunt Principes, sive sunt subditi, sani vel infirmi, robusti vel debiles, armati vel nudi, sed omnes ex æquo prescindit. MANSI, d. x, n. 6.

Neminem latet illud receptissimum assertum: « Amyclas silentium perdidit. » Erat autem hæc civitas inter Cajetam et Tarracinam juxta mare situata, quæ falso piratarum sæpius excita rumore ad arma concurrerat; unde cum cives quietam nunquam possent transigere noctem, remedium adhiberi discordiæ, legem promulgarunt, ne quis sub pœna vite ad arma provocare, aut conclamare multitudinem auderet tempore nocturno. Ex improvviso igitur, quadam nocte, inimicus de mari in terram conscendens, manu salva, omnibus dormientibus urbem invasit, flammis combussit, spoliis exhaustis, ideoque in proverbium abiit: « Amyclas silentium perdidit. » Ita quoque quam plurimi mortales quandoque patiuntur infirmitates, aut in diversa incidunt pericula, in quibus per prævias confessiones generales, conscientiaque munditiem ad mortem excipiendam præparati essent; sed ubi vix discrimen evasere, mortis imme-

mores, laxam aggrediuntur vitam, quos tamen ex improvviso repentina mors irruens opprimit. IAN., d. xiv, n. 9.

Orator quidam nostri temporis celebris de navigantibus disserens observat, eosdem non magis a morte distare, quam distet subtile lignum ab undis; hoc enim si non intercederet, mori cogentur. Eodem modo si quis me interroget, quantum ab unoquoque mors distet homine, vere respondere potero, quod unico tantum flatu et respirazione a morte separetur, quia quamprimum homo respirare desinit, pariter vivere desinit. IAN., d. xv, n. 4.

Seneca moralis Philosophus inquit: Tam debet esse mors ante oculos juvenis, quam senis. Non enim citamur ex sensu, sed ex deposito. Quænam vero est inter censum et depositum differentia? nimirum fructus ex censu provenientes non recipiuntur nisi post annum evolutum; at vero depositum ad quamvis domini postulationem restituere lenemur, et ideo illud semper in promptu esse debet. Merito igitur Philosophus ait: « Citamur ex deposito, quia mors super vitam jus et potestatem habet similem illi, quam habet depositarius super rem depositam. » Ergo superveniente morte non valet dicere: « Ugo sum juvenis, nondum sum maturus ad mortem: quia mors idem jus habet in juvenes, quod in senes, cum tam juvenis quam senis vita unice dumtaxat respiracioni et halitui adhaereat. » SENECA, ap. MANSI, d. xvii, n. 10.

Diabolus gravissime hominem aggreditur in fine, sciens plus temporis non sibi remanere. In hujus figuram dixit Dominus antiquo serpenti Gen. 3: « Tu insidiaberis calcaneo ejus, » scilicet creaturæ rationali, cujus calcaneus corporalis est extremitas corporis, finem vitæ designans: et sicut serpens in cauda dicitur habere venenum, ita in fine hominis tentationes omnis malitiæ suggerit. De hoc Ps. xvi: « Inimici animam meam circumdederunt, etc. » Inimici nostri maximi sunt demones, et hi animam vallo circumdant, quæ peccata ante mentem ponunt, et diversa tentamenta suggerunt hinc inde: « Adipem suum concluserunt, » quia abundantem malitiam suam in animam includere quærunt. « Os eorum locutum est superbiam, » dum videlicet vel de infidelitate, vel de desperatione, vel de taciturnitate confessionis morientem tentant. S. ANTON., p. 1, tit. V, § 5.

In vita S. Anselmi legitur, leporem quemdam a canibus infectatum, per fugam sub equo, cui S. Episcopus insidebat, suum sibi quævisse refugium, cumque ex instinctu reverentiæ erga Episcopum, dictum leporem aggredi, vel attingere non audent, aera nihilominus lateralibus suis implebant, quod circumstantes, hocque spectaculum videntes sine risu dissimulare non poterant; unde S. Episcopus occasionem sumpsit saluberrimam illis suggerendi sequentem doctrinam, ita enim illos alloquebatur: « Ridetis? At vero infelici huic lepulesco nullus risus, nulla lætitia est. Hostes ejus circa ipsum sunt et ipse de vita sollicitus confugit ad nos, præsidium flagitans. Hoc plane est et animæ, nam cum de corpore exit, mox inimici sui, scilicet maligni spiritus, qui eam in corpore degentem per anfractus vitiorum multis modis persecuti sunt crudeliter, adsunt parati eam rapere, et in tormentum æternam precipitare. At ipsa nimis anxia huc illeque circumspicit, et qua se tueatur, defensionis et auxilii manum sibi porrigi ineffabili desiderio concupiscit; demones autem e contrario ridet, et magno gaudio gaudet, si illam nullo fultam adminiculo inveniant. » Vita, c. II.

Consideravit S. Gregorius verba illa ab Angelo devotis Mariæ dicta: Nolite expavescere: ac si aperte dicat: Pavent illi, qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant, qui carnalibus desideriis pressi ad eorum se societatem pertinere posse desperant. Vos autem cur pertimescitis, quæ vestro concives videtis? Unde et Mattheus Angelum apparuisse describens, ait: Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix; in fulgure enim terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia vero omnipotens Deus, et terribilis peccatoribus, et blandus est justis, recte testis resurrectionis ejus Angelus, et in fulgure vultus, et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et ferretur reprobos, et mulceret pios. S. GREG., hom. XXI, in Ev.

Postquam Samson leonem dilaniavit, post aliquantum temporis ad locum, ubi cadaver jacebat, reversus, favum mellis in ejus faucibus deprehendit, de quo illud proposuit problema: « De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo. » Porro mors est leo ille ferox et horribilis, de quo proinde in Offertorio defunctorum dicitur: Salva me

ex ore leonis; et in Psalm. vii : « Ne quando rapiat ut leo animam meam, » huncque leonem natura summopere abhorret, quia in medio vitæ nostræ cursu leo iste hominem frequenter aggreditur, et prostermit. Quisnam vero ita fortis erit, qui de hoc leone victoriam reportare, in ejusque faucibus mellis suavitatem invenire, eique libenter occurrere possit? Is nimirum, qui velut alter Samson, spiritum Dei secum habebit, id est qui vitamaget innocentie Christianæ conformem, totumque spiritualis vitæ perfectioni se tradet, is enim mortem nequaquam expavescet. MANSI, d. xxxv, n. 4.

Ingeniosa est Ambrosii super illa a Christo dicta verba ponderatio : Sunt aliqui de hic stantibus, qui non gustabunt mortem. Ita enim scribit : Non satis est stare, nisi, ubi Christus est, stetur. Soli enim non poterunt gustare mortem, qui possunt stare cum Christo. Hi enim, qui, quamdiu in terris vixerunt, cum inimico infernali fœdus pepigerunt, timent, et merito, ne in ejus societate post hanc vitam æternaliter crucientur, ac proinde, quando ab hac vita separandi sunt toto corde contremiscunt. S. AMB., l. VII, c. ix, in Luc.

Merito aliqui faciunt reflexionem super diversum exitum, quem sortiti sunt magister Pistorum, et pincerna Pharaonis. Ambo Regis sibi indignationem contraxerunt, in eundem carcerem, in quo Joseph vincetus detinebatur, coniecti erant, ejusdem erant aulae collegæ aulici, ejusdem Regis subditi et servi, rei ambo erant, qui Regem suis contra se exasperaverunt excessibus; ac proinde videri poterat, eos parem sortituros esse exitum, sive proprium, sive funestum; et tamen illorum unus in gratiam Regiam restituitur, alter vero ad patibulum suspensus fuit. Quis mihi diversitatis hujus edisserat causam? omnia in figura contingebant illis. Nimirum ambo Regi Ægypti mundum prefiguranti inserviebant, cum hæc tamen differentia, quod pincerna, qui e carcere ad gratiam pristinam readmissus fuit, denotaverit illum, qui in hujus vitæ Ægypto vivit, sed absque illa ad hunc mundum affectione vel adhaerentia; Regi potum propinabat, ita tamen ut ejus manus nequaquam tangeret; ideoque symbolum erat illorum, qui mundo quidem utuntur, sed absque ullo ergo mundum hunc affectu, juxta illud Apostoli : « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus, » Magister vero

Pistorum sive coquorum, illum representabat, qui rebus mundi hujus toto affectu immergitur; qui enim farinam et panes aliis præparat, manus semper farina et siliquis inquinatas habet. Hi igitur sunt, quos illa manet terribilis sententia, ut scilicet in patibulo inferni perpetuo suspendantur, quia manus nunquam puras habent. MANSI, d. xxxvi, n. 9.

Interrogatus aliquando quidam non minus dives, quam potens, quidnam sibi de vita penitente et austera quorundam Religiosorum, et de vita deliciosa et commoda quorundam secundum sensualitatem, et presentis sæculi usum viventium, videretur? Respondit : « Cum his vellem vivere; cum illis vero mori optarem. » At vero magis Christiane ne responsurus fuisset, ut Drexelius inquit : « Cum iisdem opto vivere, quibuscum mori gratum esset, siquidem timentium Deum bene erit in extremis, etc. » S. Bernardus primus S. Francisci socius in hora mortis suæ dixisse fertur : « Nunc sentio, quid sit in Dei timore vixisse, nunc enim pro toto mundo nollem me aliam vitam insituisse. » Ibid.

S. Gregorius Nazianzenus caducam vitam nostram descripsit, cum orat. 10 sic ait : « Ejusmodi vita nostra est, fratres, qui vitam fluxam ducimus, ejusmodi in terra ludus, ut cum non simus, nascamur, cum nati sumus, rursus dissolvimur. » Insomnium sumus minime consistens, spectrum quoddam, quod teneri non potest, avis prætereuntis volatus, navis in mari vestigium non habens, pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, et suo tempore marcescens. Hæc ille, sæculorum, et temporum ludibrium est vita nostra. Propudiosam ex re obscœnissima trahimus originem, et vix ex illa fœditate emersimus, quando in eandem magno impetu redimus. Somnium sumus hominis miseri, quem sua noctu imaginatio ludificat, ut se regem sublimem in magnifico throno secundum quietem videat qui, cum sub dio, atque in trivio noctem exegit, fractus ex duro solo, rigidus ex frigore, nudus ex egestate, famelicus ex longa esurie evigilat. Umbra sumus, quam si tentare manu velis, non potes. Nos aves, nos naves sumus, quarum illæ pennarum remigio ventos, hæc carbasorum alis pelagus sulcant, sed sola vestigia quædam earum, quæ in transitu relinquunt, sed talia ut nullius sint tam radiantis oculorum obtutus, ut

ea legere possint. Pulvis sumus, qui graviter sibi ruinam parat, quo sublimius se a ventorum spiritu ferri permittit. Ros sumus, qui vix solem conspicatur, quando vel pro reverentia cedit de loco, vel præ timore, et admiratione tam splendide Majestatis consumitur. Flos sumus, quem sol unus videt apricum, odoratum, mortuum. Cum ergo tam multa simus et nos, et vita nostra, dico, quod ea propter nihil sumus. S. GREG. NAZ., Or. xvi.

In primulo sacrarum litterarum vestibulo atque in ipsis primi et secundi libri titulis magnum mysterium S. Gregorius Nyssenus non absque singulari acumine notavit. Primum scripturæ liber dicitur Genesis et latine Generatio, sive principium. Secundus liber Exodus, quod Latinis exitus, finis, terminus dicitur. Solemne est Hebræis nomina libris ab eorum primordiis indere, et quoniam primum libro ortum mundi Moyses exequitur, propterea Geneseos, sive generationis nomine donatus fuit. Secundo autem libro texti historiam excessus filiorum Israel a servitute Ægyptiaca, et finem tam duri, atque intolerabilis mancipatus, inde exitum appellandum putaverunt. At nunc quærit sacer Nyssæ Episcopus, quid causæ, quod librum Geneseos sive generationis, et principii statim ille e vestigio sequitur, qui ab exitu, et a fine nomen accepit, sicut inter utrumque non alius intercedat medius. Factum id haud dubie, ut vitæ nostræ brevitatis indicaretur, et quam angustis circumscribimur cancellis, ut quorum principium inter et finem nihil videatur reperiri medium. Hæc tacite philosophatur in primis librorum suorum inscriptionibus Dei amicus Moyses, inquit ille hom. 6 in Eccl. qui statim cum Genesi, quod est generatio, simul quoque scripsit Exodus, id est, excessum, ut qui ea legerent, quæ scripta sunt, etiam per ipsum ordinem librorum ea discerent, quæ ad ipsos pertinent. Neque enim fieri potest, ut, qui Genesim, generationem, inquam, audierit, non Exodus, id est, excessum protinus cogitet. Juxta hæc quis tam vanus sit, ut vitæ tam vanæ fidat? Et quis secum reputabit, quod vitæ exordio tam vicinus est finis, ut nulli ejus initium occurrat, quin terminum simul obvium habeat, qui non fructuose eam locare curet, et ad horam mortis studiose diligenter se præparet, quæ tam cito adventit, tamque inopinato nos hinc abripit? S. GREG. NYSS., ap. DID. NYSS., § 4, Dom. 3 post Pasc.

TOMUS III.

Diligentia et industria mali dæmonis factum multi arbitrantur, quod sepulchra extra civitates olim fuerint constituta, ut ne homines ab oculis haberent memoriam mortis, sed procul abesset, quicquid illam reficere posset : quod stygius ille veterator probe sciret, quam sit hoc validum ad continendos in officio homines, emolliendosque peccatores remedium. Confirmatur id ex eo, quod alterius vitæ homines, qui ad nos redeunt, tanquam a vita nostra sibi timeant, fragilitatis suæ monumentum, quo tueantur, secum ferant, neque veniant, nisi bene tecti funebri linteo, quo involuti fuerunt, quando mortui. Revexit Samuel, visusque est pythionissæ, quæ, cum a Saule interrogaretur, qualis formæ vir esset, qui visus, respondit : « Vir senex ascendit, et ipse amictus est pallio. » I REG. 28, 14. Quæsitus a multis, quale hoc pallium fuerit Samuelis, Rabbi Salomon respondet : Fuit pallium, cum quo sepultus est. » Sed quorsum funebri illo amictu indutus adventit, qui paulo post ab hac vita iterum abiturus erat? Tam vilia aut non ornatoria, præclarioraque sunt alterius vitæ vestimenta? Habet illud ævum vestes tum elegantiores, tum pretiosiores, sed venit cum ferali suo amiculo Samuel, ut ejus, quam jam oppietaret, mortis insigne aliquod secum ferret, continuoque ob oculos haberet, quasi nemo in hac vita vel momento securus degere possit, nisi in consideratione fragilitatis propriæ positus. Propterea etiam Samuel, tanquam præsidio tali opus habuisset, pallio suo capulari se textit, et velut obarmavit. Atque ille quidem istud in littore, et portu; quid ergo nos inter tempestatum procellas in medio mari, et præsentaneis periculis agamus.

Utilitas memoriæ mortis.

Solent apes, cum toto semel agmine ab alveari eruperunt, dissipari, et ægre sub tecta priora reverti. Sed quo remedio fieri possit, ut iterum coeant, et in priores cellulas se recipiant? Plinius lib. xxxvi, c. ult., hac arte revocari posse docet : Pulvere e vestigio anguium collecto, sparse apes in alvearia revertuntur. Quam facile ad peccandum erumpunt homines? quam leviter ab æquo et bono recedunt? ut vero semitam redeant, quid agas? Sume pulverem, sume